118

118

CAROLI. RO. REGIS. RECESSVRI ADLOCVTIO IN. CONVENTV. HISPANIARVM





Go profecto viri Hispani non eam in
vultu vestro animorum alacritatem,
nõ expressa illa leticiæ (quibus me ex
cepistis) signa video: neq; aliã subesse
causam suspicor: q̃ ꝙ grato aduentu
meo grauior discessus videatur. Ea in
primis causa ꝙ recedẽte Sole noctem
fieri, redeunte diem videatis: Timetisq; ne eadem sit ratio
& Regis & Solis: grauiusq; id fertis: quod & fide & Regũ
obseruãtia facile cæteris omnibus praestatis. Perturbãt ve
ro adeo hæc eadem animum meum: vt tam graue a vobis
q̃ a me ipso discedere putem. Presertim ꝙ ad Hispaniam
veniens mihi persuaseram ne vnquam ab ea discederem.
Cum scirem quanti a Rege suo facienda esset Hispania. At
sunt prorsus alia Dei & fortunę, alia hominũ consilia. Mor
tuo namq; imperatore auo meo tãta a plerisq; contentione
petitum est Imperium: Vt quieta Hispania saluis regnis
meis imperare non posset. Tandem ad me, vno Germanię
consensu delatum est imperium: volente (vt puto) & iu
bẽte Deo. Errat namq; qui viribus aut opibus, ambitu aut
consilio, Orbis terrarum Imperium cuiquam contingere
posse putat. A Deo.n.ipso ipsum est Imperium. Nec illud
tantum mea causa suscepi. Contentus sane Hispano Impe
rio esse poteram Balearibus & Sardinia insulis, Siculo re
gno: magna Italię, magna Germanię, magna Gallię parte
& alio pœne orbe aurifero. Sed id a me factum est: tum vt
imminentia mala: finem nunq̃ habitura auerterem, tum
vt religionem ac remp. & bello & pace quantum possem
iuuarem: conuerso in Christiani nominis hostes bello: pace

vero. cuius author semper fui: in Rempub. inuenta. Et profecto si Creta Iouem continuisset: nõ eum antiquitas in coelo locasset. Si Thebę Liberũ patrem & Herculem non emisissent rebus preclare gestis non eos vidisset Hispania. Nõ Cyrum Scyhtia, non Alexãdrum India, non Pyrrhum & Anibalem Italia, non tot & tantos Hispanos imperatores Roma vidisset, nec ipa hęc eadem Orbis domina pares Imperio suo viros si non emisisset, habuisset. Sed antiquiora hęc forsan. Vos autem sępe Hispanos, sępe Gallos, sępe Britannos, finitimos vestros non ad Imperium, sed ad bellum magna cum laude Reges suos emisisse & audire & videre potuistis. Verũ forte illi studio glorię, & Imperii cupiditate ea gessere. Ego vero nõ minora his nr̃e glorię: nr̃e famę, nr̃o(inq̃)Imperio me debere sentio. Sed his accedit fatalis quędam rerum necessitas: quę me ad nauigandũ impellit Consulendum porro est religionis pietati: cuius hostis adeo creuit: vt ferri non possit: reipublicę pręterea quieti, Hispanię dignitati, deniq; Regnorum meorũ saluti. Quæ omnia vix esse aut fieri possunt: nisi Germaniæ Hispaniã coniunxero: & Hispano Cęsaris nomen addidero. Cũ itaq; tam variis difficultatibus vrgerer (cum alio necessitas: alio voluntas raperet) conuẽtum Hispanię indixi: in quo rem omnem explicarem: omnemq; vobiscum tum belli tum pacis rationem haberem. Hęc in conuentu tractanda sunt non minore vestro auxilio q̃ consilio. Desiderium vero mei facile feret Hispania: si tam de reditu q̃ de discessu cogitauerit: redditumq; ad arcem Regnorũ ad opum mearum officinam Hispaniam: volũtate discessum vero necessitate metietur: memineritq; cęteras gentes non minus vo

luntati: aut vtilitati q̄ virtuti seruire. Solam Hispaniam ad honorem natam: pro honore & viuere posse: & mori, q̄ si vos ea quæ animis vestris a natura penitus insedit glorie cupido: si religionis pietas pro qua receptis ex hostium manib9 multis Regnis victores sępe pugnastis, Si deniq; vniuersi salus orbis mouet: patiamini quęso ęquo animo Regē vestrum paululum abesse: ea tamen lege vt rebus rite peractis confestim ad vos. Augustior redeat. Et vt finem faciā viri Hispani talem regem habituri estis: qualem vestra virtute: vestra magnitudine: vestra deniq; concordia feceritis. Vos.n.soli cursum fortunę meę iuuare: vos soli retinere potestis. Cum nec Hispanię quicq̄ deesse possit nec obesse: nisi seipsam Hispania deseruerit: aut illi Regi defuerit: qui nunq̄ Hispanię defuturus sit. Quapropter curate queso tum vestra, tum Regis vestri causa: vt parē animo suo, parem Imperio Regē se habere gloriari possit Hispania,

